

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia  
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

**Caussin, Nicolas**

**Coloniae Agrippinae, 1634**

Cap. 1. [De varietate.]

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)



# DE OPTIMO CHA- RACTERE ELO- QVENTIÆ.

LIBER SECUNDVS.

*Ac primum de eius varietate.*

CAPVT PRIMVM.



*Cicero in  
oratore.  
Bonitas sy-  
li non op-  
nione du-  
tarat ho-  
minum me-  
tienda.*

*Hominum  
iudicia de  
eloquentia  
dissimilli-  
ma.  
Enus ora-  
tor, idem  
enun. bus  
sse pot. p.*

ST illa nobilium inge-  
niorum sententijs iacta-  
ta crebrius assertio, eam  
demum esse optimam e-  
loquentiæ rationē, quæ  
placeat auditорibus, &  
summum Oratorem nihil  
altius esse quam summum  
populo vidari. Quæ, eti prudenter ab amplissi-  
mis viris pronuntiata esse videatur, non est  
tamen ita accipienda, ut deterrimus quisque  
stylus, modò imperitorum aures mulceat, at-  
que deleat, cōtinuò omnes numeros habeat  
bonitatis: insidet enim ipsis sensibus, & verbis  
recti quædam, boniqua ratio, quæ non est aliena  
semper auribus metienda: sed ipsa in sese  
leges continet suæ perfectionis: Alioqui si to-  
ta exalienis iudicijs penderet eloquentia, idem  
omnino, & eodem tempore sapientissimus; i-  
dem quoq;dementissimus Orator, & dicendus  
esset, & habendus. Narrat Philo vidisse se in  
Theatro, cum aliquis recitaret, alios se in plau-  
sus, & mirabiles iorū effudisse, alios, non  
secus, ac stipites immotis hæsisce, alios etiam  
aures ocluſisse, adeò importuni acroamatis  
eos subtraebat.

Quid igitur dicemus? eum ipsum (qualiscū-  
que tandem fuit) sive actorem, sive oratorem,  
& potentissimum in dicendo fuisse, & frigidissi-  
mum, & ineptissimum: potentissimum, qui

tantos plausus colligeret; frigidissimum, qui  
non magis, quam statuas, moueret auditores;  
ineptissimum, qui tantam auribus inferret  
molestiam. Absit illud quidem: sed de oratio-  
ne prius sit prudens iudicium, & quo longè iudicium à  
nobilior sententia, quam ex imperitorum ho-  
quibus pe-  
minum affectibus videtur expectanda. Etsi tendum.  
enim scena (ut auunt) scriuire, magna est dexter-  
itatis, & fermè impudentis est ingenij, audit-  
orum iudicium non revereri, quibus magna ex  
parte caendum est: Nullo tamen pacto orationis  
vitia, quod placeant, idè virtutis, aut  
pulchritudinis speciem induent. Itaque inep-  
tum Oratorem, qui multitudinem demulceat,  
felicitorem, quam sapientiorem purabo. Con-  
tra, optimum, cui minus studia responderint,  
non ideo pessimum iudicabo. Ut enim in  
nummis euenerit, si quæ natio nummos ex co-  
rio, aut ferro maller, quam monoram ex au-  
ro, argento eusam: dexter quidem, & felix  
censeretur mercator, cui hac fortuna obti-  
gisset, ut corium pro auro distractheret: non ta-  
men eam ob causam, auri, argenteue natura  
corio, aut ferro inferior censeretur, quod esset  
à stultissimis æstimatoribus ita iudicatum.  
Cur ita? in ipsa quippe auri natura insidet  
quædam præstantia, quæ sine vila hominum  
æstimatione, decus obtinet suum. Eadem pro-  
fecto ratione, inest eloquentiæ hatius qui-  
dam splendor, quem deteriora iudicia cōuel-  
lero.

*Populari  
orator felici-  
or quam  
sapientior.*

*Non opinio-  
ne hominū,  
sed rei pra-  
stantia cun-  
cta mesien-  
da.*

Varietas  
styli.

Iere nullo modo possunt; qualis autem sit, quærimus.

Varia omnino sunt styli, & eloctionis genera: in quibus tanta penè, ac in ipsis hominū vultibus, lascivitatis veluti orationis ludo, nasci solet varietas. Tum verò vnicuique promptum est in deteriorem partem ruere, paucis, & ijs admodum prudentibus, in eloquentia reatum tenere modum. Haec autem varietatem, quam loquendi sartaginem Persius nominat, ex corruptis hominum mortibus fluxisse, bene animaduertit Seneca: *Hoc quod audire vulgo soles, quod apud Græcos in proverbiū celsit, talis hominibus fuit oratio, qualis vita.*

*Quemadmodum aurem vniuersiusq[ue] actione dicenti similes est: sic genus dicendi aliquantum vita. do imitari publicos mores. Si disciplina ciuitatis laborauit, & se in delicias dedit, argumen- tum est luxuriae publicæ, orationis lasciuia: si modo non in uno, aut altero fuit, sed appro- bata est, & recepta. Non potest esse aliud ingenio, aliud animo color: si ille sanus est, si compotus, grauis, temperans; ingenium quoque siccum, ac sobrium est, illo vitiato, hoc quoque affla- tur.*

Rectè quidem illud, & eam ob causam, in diuersos paulatim mores Roma defluente, 2- ha, atque alia eloquentia facies extitit. Emerserunt primi illi pauculi eloquentes, à nobis superius commemorati, ut Iunius Brutus, Me- neni Agrippa, Fabritius, quos sensibus grandes, & masculos, verbis rudes, & horridos, credibile est extitisse. Adolescēte demum imperio, erexit, quasi ex suo cortice facundia, & ridet cœpit clementius simplex quadam gratia locutionis, nullis adhuc fulgens orna- mentis, spe potius, & inde, quam prouentu commendanda. In eo genere fuit Enniana simplicitas, Plautinus geniū, candorque Ca- tonianus: quæ prima velutin nondum planè colluentis, sed emicantis eloquentia crepuscula extiterunt. Sequuta est tandem illa maturis iam viribus, & figurarum pista colo- ribus, lateque perfultans oratio, qualis Cice- rois tempotius viguit; cum res perhonori- fica censebatur, diem dicendo eximere. Mox a- lio reip. statu displicere visi sunt Oratores illi specie vberes, complexione rerum exiles, & hæc tota lasciviosæ orationis effusa luxuries, paulatim succingi, contrahique cœpta est, donec ad noua quæque, partim ex silentibus ora- torum ingenij, partim etiam prurientibus au- ditorum auriculis, corruptæ varia in sty-

lum redundarunt, quæ primam discutiendæ nobis esse videntur quæam diligentissimè, quo magis ex virtijs oppeditis, ingenuæ pulchritu- do virtutis elucefcat.

Dionys Longinus lib. 348 vñitia, ad tria *Styli vñitiae* referit capita, *luxpo, παιδεια/ις, παιδινδος*: hoc *In tria gene- est, frigidum, puerile, insanum. Seneca episto- ra ex Longi- la centesima decima quarta inflatum, infra gino.*

*Hum. audax, præruptum, allegoricum;* attingit his verbis. Quare quibusdam temporibus prouenient corrupti generis Oratio, quaris, & quo- modo in quædam vñitia inclinatio ingeniorum facta sit, ut aliquando inflata explicatio vige- ret, aliquando infacta. & in morem Cantici ducta? Quare alias sensus audaces, & fidem' e- gressi placuerint? alias abruptæ sententiaz, & suspiciose, in quibus plus intelligendum est, quæ audiendum? quare aliqua ætas fuerit, quæ translationis iure vñeretur inuenire cunctæ alij alios errores notant, ex quibus ad sum- mum colligo præcipua styli vñitia; tumidum, cacoelum, frigidum, parenthysum, puerile, scholasticum, poëticum, allegoricum, miscel- laneum, humile, siccum, lentum, abruptum; quorum alia in excessu, alia etiam in defectu reperientur.

## De Stylo inflato.

## CAPVT II.

Frequentissimum vñitij genus illud est, quod tumorum appellant. Nam cum ad aliora quæque suo (vt ass'ole) impetu natura conten- dat, fit, ut peruersa magnitudinis quam sibi deformauit, simulachro quadam illusa, in tu- midas ineptias, & phaleratas, vñiunt, nugas præcepit abripiatur. Rana cerre in Apologomi- ratur grandem illam bouis speciem, & succu- lentam corporis habitudinem: nec mora, in cuius amorem tota exardecit, & cupit quoque modo bovi similis fieri: sed misera, dum supra corpulculi vires, & naturæ conditionem tu- met, atque inflatur, spiritum egerit, ac mor- tua disrumpitur. Idipsum profecto permultis *Tumidus* *Stylus in* *parati.* contingit imitatoribus, qui dum Virgilij, aut *quod defi-* Ciceronis magnitudinem suspiciunt, auent- nit, que in leuiculis etiam argumentis, candem exprimere, & vincere, in id deueniunt, vt pro vero, & solido corpore nihil nisi fumos, & ventos ostentent, tandemque strigos, & ma- cileati dispercent.

Hoc genus tumidū nominatur, similitudine *Styli tumor* duxa, à prava corporis habitudine, quæ pro *unde dictum,* carne

H 3